

simile fiat secundum quod expedit atque decet, usque ad Nativitatem sancte Marie virginis, hoc interposito quod medio tempore convenimus in loco nobis ex utraque parte competenti gracia placitandi super questionibus hinc inde habitis et subortis. In cuius rei evidenciam nostrum sigillum presentibus est appensum. Datum anno domini MCCCXIII^o in octava Laurentii martiris.

Or. im M. A., Sgl. hängt lädirt an.

1313 Sept. 4.

653.

Schiedsspruch des Bertho von Schernberg zwischen dem Rath von Mühlhausen und denen von Ammern wegen des Besitzes von Ammern und der Gerichtsbarkeit von Lengefeld.

Ego Berthous miles dictus de Schernberg recognosco publice per presentes, quod causam michi a partibus subscriptis commissam vergentem inter dominum Wezcelonem militem, Conradum, Gotfridum fratres, filios quondam Alberti de Amera dicti Parvi, Cristanum, Henricum fratres dictos de Amera, Conradum de Amera dictum Album et consanguineos eorundem consortes huius litis in hac parte ex una et... magistros consulum ceterosque consules Molhusenses ex parte altera primo super communitate ville Amera communicato prudentium consilio fideque data ac iuramento prestito inveni et pronunciai, dominum Wezcelonem et alios consortes litis predictos probare debere per noticiam, eorum esse communitatem ante dictam. Quam si probaverint, pronuncio eis fore iniuria irrogata (!). Secundo pronuncio, quod petitiones, exactiones, pignoraciones seu spolaciones, si que fierent circa bona vel homines Wezcelonis ac suorum consortum predictorum contra iusticiam a personis quibuscunque, hec eisdem iniuriam similiter irrogarent. Tercio pronuncio, quod si iurisdictio in Lengeveld progenitoribus et suorum consortum memoratorum per ius seu noticiam abiudicata est, tunc cives Molhusenses predicti super dicta iurisdictione eisdem de cetero nullatenus respondebunt et alter alterum pro omnibus causis predictis incendio vel rapina non perturbet, nisi prius in iure penitus convincatur. Acta sunt hec presentibus domino Hermanno Rymen, Th. de Indagine, Ludevico de Ubeche militibus, Henrico de Lengeveld, Henrico Margarete seniore, fratre Henrico dicto de Bynestete converso tractatoribus cause supradicte necnon domino Richardo milite dicto Gerten, Lutolpho de Bachere et aliis quam pluribus fide dignis. Et hec omnia de consensu parcium hinc et inde, quia proprio careo sigillo, sub sigillo strenui militis domini Friderici de Sundershusen conscribi procuravi. Et ego Fridericus predictus ad petitionem parcium predictarum sigillum meum duxi presentibus appendendum. Datum et actum anno domini MCCCXIII^o proxima tertia feria ante Nativitatem beate Virginis.

Or. im M. A., Sglfragment.